

Lucæ 21.

*Vigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni
habeamini fugere ista omnia, quæ futura
sunt, & stare ante Filium hominis.*

Summa Deo Soli Gloria, Laus, & Honor.

EPILOGUS LIBRI SECUNDI.

Monendus mihi es, Christiane Lector, hoc unū
me istis meis Libris spectare & collimare, ut una cum
repurgata nostra religione, & fidei confessione Au-
gusta olim exhibita, & postea in Formul. Concordiæ repetita
(huic enim verbis & animo adstipulor, exindeq; scripta mea
explicari volo) vita sancta & Christiana excolatur. Nihil
enim prodest pura doctrina his, quæ vita sancta non ornat.
Nec ego puritatem doctrinæ veto, quanta potest, industria &
vigilantia tueri; sed vitam sanctimoniam magis pleriq; cupio
esse commendatam. Cui enim bono magna scientia absq; pie-
tate? Longe profecto Deo charior est, qui devotos, quàm qui
doctos facit. Doctrinam de Christo multi maximo conatu &
zelo tradunt; ejusdem vitam perpauci. De quo pluribus in
Præfat. lib. 1. & Epilogo quarti. Quod si cui debito fusior in
vita Christiana explicanda videor, is cogitet, nihil diffusius
esse impietate nostri sæculi, nihil gravius corruptela nostræ
natura, adhuc redemptionem nostram ingens opus & mare ma-
gnum esse, crucem autem nostram ipsa varietate latissime pa-
tere. Quanquàm qui brevitate delectantur, & Epitomen vitæ
Christiana mallent, illis ego auctor sum, legere quæ Libro I. &
II. per certa capita de Pœnitentiâ, Fide, Charitate, Humili-
tate, Mansuetudine, Patientiâ & Cruce sum executus. At
qui maluerit integrum opus perlegere, eum vero non tempo-
ris non laboris pœnitebit. Præterea illud à te peto, quia festi-
natio typothecarum mēda, quasi canis festinans cæcos catu-
los solet, peperit: ea ex indice suo corrigere, Christiana equi-
tate auctori non imputare, & juxta mecum, Dei gloriam
& proximi salutem, quantum potes, pro-
more velis.